

M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATA

II, 64

In Laurum

Laurus quidam erat de arte, quam esset professurus, multos per annos dubius atque anceps; hunc igitur, modo ad rhetoris, modo ad causidici munus se cogitatione accingentem nec ulli manum admoventem, monet poeta, ne apud inferos munus incepturus sit suum.

Dum modo causidicum, dum tē modo rhētorā fingis,
et nōn dēcernis, Laure, quid esse velīs,
Pēleos et Priamī trānsīt et Nestoris aetās,
et fuerat sērum iam tibi dēsinerē.
5 Incipe, trēs ūnō periērunt rhētorēs annō,
sī quid habēs animī, sī quid in arte valēs.
Sī schola damnātur, fora lītibus omnia fervent,
ipse potest fierī Marsua causidicus.
Ēia age, rumpe morās : quō tē spērābimus ūsque ?
10 Dum, quid sīs, dubitās, iam potes esse nihil.